

Deo constitutum, & supra propriam capacitatem se non efferens:

4) notitia Analogiae fidei:

5) pia preces, quibus auxilium & benedictio divina expetuntur.

*Quæritur: An quis possit Exegeta dici ratione voluntatis, num vero soli intellectui Exegetis competat.* Resp. Subjectum inhæsionis hic est solus intellectus. Nam e. g. Exegeta debet callere lingvas, historiam, &c. quæ sunt res intellectus: quamvis etiam pia voluntas adesse debeat, ut nempe habeat animum submissum & devotum Deo; sed hæc sunt generalia, quæ ad omnes Theologicas disciplinas requiruntur.

§. III. Itaque primo loco *præjudicia* sunt exuenda, qui enim his infectus est, suum sensum in Biblia sacra infert, non vero ex illis sensum petit & effert. Exuenda autem sunt præjudicia tum Theologica, h. e. errores contra veritatem divinam jamjam recepti, v. g. Naturalismus, Fanatismus, Prædestinatismus, Sacramentariismus atque Operativus; tum præjudicia Philosophica, præsertim præjudicium imaginationis, affectuum, propriæ habitudinis & cœcæ autoritatis: nec non errores vulgares, quales collegit *Tb. Brounius in Pseudodoxia Epidemica*.

§. IV. Præcipua præjudicia, quæ speciatim hoc pertinent, sunt sequentia:

1) Scripturam sacram, ut verbum humanum tractandam esse in concipiendo, scrutando & interpretando;